

- A 4. Diligis omnia verba perditionis, lingua dolosa.
 5. Vici sim destruet te Deus in eternum, & conteret & abradet te de tabernaculo, & radicem tuam de terra viuentium. Selah.
 6. Et videbunt iusti, & timebunt, & super ipsum ridebunt.
 7. Ecce virum, qui non posuit Deum robur suum, sed fiduciam collocauit in opes suas multas, & in prauitate sua obfirmatus fuit.
 8. Et ego sicut olima viridis in domo Dei, speravi in benignitate Dei in seculum & usq.
 9. Celebrabo te in seculum, quoniam fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est, in conspectu sanctorum tuorum.

Potens.] Ebr. זְהִבָּבָב Græc. & vulg Lat sic: Qui potentes in iniquitate: cùm illud, h. iniquitate non sit in Ebræo. Et illud, Benignitas Dei, Ebrei בְּרֵד וְנַד omiserunt: Et quod in Ebræo est, בְּלֹא, Tota die, transtulerunt ad principium secundi versus, sic legentes: Tota die iniustiam cogitauit lingua tua.

Verba perditionis.] Ebr. רְבִירְבָּלְעָם Græc. καταρρογή Vulgata Lat. Præcipitationis. Hieron. Ad deuorum. Iustin. Destructionis Felix: Depressionis. Pagnin. Omnia verba dissipata.

Vici sim.] Ebr. בְּזָבֵד id est, Etiam Græcus & vulgata Lat. Propterea. Hieron. Sed. Sic & Iustin. Pagnin. Felix, & Tigurina: Etiam.

Conteret te.] Græc. & vulg. Lat. Euillet te, & emigrabit te. Hieron. Terrebit te, & euillet. Iustinianus: Incidet te, & procidet te.

Illud ultimo versu, In conspectu sanctorum tuorum, Ebr. est יְהִי רְמָז: id est, Eorum qui benignitate tua potiuntur.

DISPOSITIO PSALMI.

Sunt autem Psalmi huius duas partes. Prima est, quæ apostrophen Prophetæ ad impium Doëg continet. Illa habet versus priores quinq., in ista vero apostrophe Prophetæ duo facit. Primum opprobat impium Doëg quedam: deinde minatur illi excidium ex ira & vindicta Dei. Opprobat autem illi non solum malitiæ insignem, sed & studium malitiae. Illud est, diligere malum ex animo, meditari malum, & linguam ad fraudem & calumniam innocentum acuere. Deinde & gloriationem in malitia, eò quod crudelitatem illam & summam malitiam proditorum & occisorum sacerdotum, quam detestabant reliquæ servi Saulis, sibi laudi duceret, quasi factū insigne cōmisset. Atq; ideo & ironiam addit dicens, תְּבִרְא, Vir fortis ac strenue.

B Egregiam vero laudem & spolia ampla tulisti, occisor sacerdotum Domini, virorum inermium & innocentum senum, mulierum, infantium, boum & ovium. Hic vers. 1. addit: Bonitas Dei extat quotidie. Quod nihil est aliud, quam: etiam si cum tuo rege me & innoxios quos suis ad necem queratis, est tamen tanta Dei bonitas, ut nos non deserat.

Deinde vindictam Domini illi minatur vers. 5. Minatur autem tantum, quæ allatura sit omnimodum excidium. Ideo vtitur verbis cōterendi, destruendi, abradendi, & eradicandi, idq: de terra viuentium. Et merito. Dignum enim erat, vt radicitus tolleretur cum suis de terra viuentium, qui sua cùm proditione tum credulitate sacerdotes Domini cum mulieribus & parvulis usq; ad animantia bruta quoq; extirpauerat. Istam talionis equitatem notat propheta, in eo quod, non simpliciter dicit, Deus destruet te, conteret te, abradet te, &c. sed יְהִי רְמָז. Vici sim te Deus destruet, &c. quemadmodum tu: id est, sacerdotes Domini, &c.

Et abradet te de tabernaculo.] Huius ideo meminit, quod simulatione religionis cultus Dei in tabernaculo Domini constitutus, ministrorum Domini interitum meditatus est: ideo dignus, cui nulla fors esset amplius in cultu & tabernaculo Dei. Hæc erit pœna hypocritarū nostri quoq; temporis.

ALTERA PARS PSALMI.

Quod sit eruditum Davidis hoc Psalmo.

Illud ponitur reliquis versibus quatuor. Et tria complectitur, quæ colligit Prophetæ ex vindicta impij Doëg. 1. Primum est vers. 6. quod dicit: Et videbunt iusti & timebunt. Quid videbunt? vindicta Doëg. Inde incipient amplius quam antea metuere & omittu, tanquam iustum vltorem malorum. Atq; ita cedit iustis in bonum, quando impijs sumitur vltio. Et hæc est ratio, cur subinde Deus malos in hoc seculo puniat: exemplum ponens eorum, qui impiè acturi sunt: & ostendens, quam non sint impunè evasuri vindictam meritam.

2. Alterum est, non posse prosperari hominem, in maloflorentem ac potenterem, speiisque suam non in Deum, sed in suas diuitias & prauitatis potentiam collocantem. Eum vero, qui in Dominum constanter sperat, futurum in domo Dei, sicut oliuam viridem: hoc est, prosperaturum in omnibus, ut est Psal. 1. Hoc ponit versib. 7. & 8. alteram particulam huius sub sua persona exprimens. Quasi dicat: Ego vero, licet me Saul cum suo impij Doëg persequatur, & in regno ac populo Dei ejiciat, permanebot tamen in domo Dei, idq: cum summa prosperitate, excisis illis, qui me extinctum volunt. Quare? Quia in bonitatem Domini fiduciam meam omnem perpetuo collocaui, qui non potest deserere sperantes in se.

3. Terium est, gratiarū actio, pro eo quod ope diuina liberatus erat, & corroboratio spei in nomine Dei, propterea quod illud sit bonum omnibus sanctis Dei. Ista habentur versu ultimo: Celebrabo inquit, te quod tu feceris. Agnoscam & prædicabo opem tuam, qua me eripuisti. Et sperabo in nomen tuum: quod videlicet es protector omnium in te sperantium, & quod optimum ac tuissimum solatum

K 4 est omni-

LECTIO.

Vers. 1.

Vers. 4.

Vers. 5.

Prima pars
Psalmi.